

F.K. 103, 13

v. d. Sahla

X 2120765

Z e  
20

**RECTOR**  
**UNIVERSITATIS LIPSIENSIS**  
<sup>Ad</sup>  
**SUPREMUM HONORIS OFFICIUM**  
*GENEROSISSIMÆ FOEMINÆ*  
**CATHARINÆ**  
**LUCRETIAE**  
natae **WALWITZIÆ,**  
**VIRI**

*GENEROSISSIMI ET MAXIME STRENUI*

**DN.**

**CHRISTOPH. ABRAHAMI**  
de SALA,  
in Sohland & Schönfeld,

In Serenissimi Potentissimique Regis Poloniae & Ele-  
ctoris Saxoniae militia Tribuni, & Pliffæburgi  
Lipsiensis Præfecti,

**CONJUGI DILECTISSIMÆ,**

Hora I. meridiana.

*Hodie XIII. Decembr. M DC XCVII.*

frequenti comitatu  
perfolvendum

**CIVES SUOS**

invitat.





Si Philosophi Græci ἀνδρείαν, & Latini virtutem a Viris nominaverunt, non hoc ideo fecisse putandi sunt, quod fœminas a virtute exclusas omnino vellent, sed quod virilem sexum fœmineo in virtutum aliquarum exercitio prævalere censerent. Cum enim iidem doceant omnes homines, quotquot sanam mentem gerunt, cujuslibet virtutis natura capaces esse, nulla ratio erat eam fœminis negandi. Accedit vitia in utrumque sexum cadere; quare etiam virtutes iis contrarias capere posse inferunt. Confessi id sunt ipsi Sapiētes. Antisthenes apud Laërtium libro VI. segm. 12. ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἡ αὐτὴ ἀρετή: Viri ac mulieris virtus eadem. Quod dogma, observante Thoma Aldobrandino, à Socrate magistro accepit, approbatum etiam Stoicis, ab Aristotele vero deinde rejectum, tum aliis locis, tum præcipue in I. Polit. libro, capite ultimo. Rectius Plutarchus exordio libri de virtutibus mulierum Tomo II. operum fol. 243. censuit, cujus verba ex versione Gulielmi Xylandri adscribimus: Similitudinem ac discrimen muliebris atque virilis virtutis aliunde rectius discere non possis, quam si vitas viris, & actiones actionibus, tanquam magnæ artis opera componens, consideres eandemne habeant formam atque effigiem Semiramidis & Sesostris magnificentia, Tanaquilidis & Servii Regis calliditas, Porciæ magnanimitas & Bruti, Timocleæ & Pelopidæ, si ad vim istarum virtutum præcipuam respiciatur. Alias enim quasdam differentias virtus, tanquam colores quosdam peculiare accipit ob diversitatem naturæ, adsimilaturque moribus, temperiei corporis, cibo & vivendi rationi ejus, cui inest. Aliter enim fortis fuit Achilles, aliter Ajax: neque prudentiæ Nestoris similis fuit Ulyssis prudentia: neque eodem modo justii fuerunt Cato & Agésilau: aliter maritum dilexit Eirene, quam Alcestis: diversa fuit ratio magnanimitatis Corneliæ & Olympiadis: Neque tamen eo adducimur, ut multas & diversas constituamus fortitudines, prudentias & justitias: dummodo diversitates singulorum nullam virtutem suam definitione excludant. Idem est Clementis Alexandrini libro IV. Stromatum fol. 497. judicium, quod Latinum ex editione Parisina Anno MDC XLI. adjicere placet: Licet ei qui ex more nostro vitam instituit, etiam absque literis philosophari, seu sit Barbarus, seu Græcus, seu servus, seu senex, seu puellus, seu mulier. Est enim temperantia communis omnium hominum, qui eam suo arbitrio delegerint. Est autem apud nos extra controversiam, eandem naturam in unoquoque genere, eandem etiam habere virtutem. Non aliam ergo habet naturam mulier, quod attinet ad humanitatem, aliam vero videtur vir habere, sed eandem: quare etiam virtutem. Si autem viri utique virtus est temperantia & justitia, & quæcunque eas consequi existimantur, soli viro convenit esse virtute præditum, intemperantem autem & injustam mulierem. Atqui turpe est hoc vel dicere. Temperantiæ ergo & justitiæ, & cujusvis alterius virtutis, similiter quidem virum & mulierem, liberum & servum, curam oportet gerere, quoniam accidit ut sit una & eadem virtus ejusdem naturæ, &c. Quid vero Auctorum sententiis opus est, ubi virtutum exempla adsunt? Nulla siquidem eximia virtus in quoquam Virorum effulsit, quam non & iste sexus sapius exercuerit: nullum magnum ac generosum facinus quisquam patravit, cujus gloriam & laudem fœminarum aliqua non occupaverit? An castitate inferiores fuere Josepho, Judith, Susanna, Lucretia? Tanaquil Tarquinio & Servio prudentia non cessit: Abigail vero maritum suum longe anteivit. Si fortitudinem requirimus, Semiramidem, Artemisiam, Amazones, Tamyrim, Puellas Bohemicas duce Velasca, historiarum monumenta nobis tradent. Anglia non minus imperio virorum, quam fœminæ Elisabethæ virtutibus claruit. Quis ignorat Margaretham Danicam, & Christinam Suecicam? Regum in Sumatra & Java, & Magni Principis in Trantziane cohortes Prætorix ex fœminis constant. In Terra Australi apud Severambes fœminæ in exercitu militant æque ac Viri, si fides esset subdolo Scriptori, qui in Terra illa Rempubliacam Platonica & Utopica Thomæ Mori melio-rem

rem & feliciorē finxit. Certe si quis Plutarchum imitatus Virorum Mulierumque virtutes conferret, inveniret

Ceu sibi certantes, sexus quid possit uterque, ut Claudianus ait de Consul. Probrini & Olybrii versu 201. Numerum illarum admodum augerent Christianæ fœminæ, pietate & religione animi quibuscunque aliis longe præferendæ. Non quidem Cornelio Agrippæ in Declamatione proluxa de nobilitate & præcellentia fœminei sexus, quæ invenitur | Parte II. Operum, damus, in Theologicis virtutibus seu sanctificantibus donis potiores esse fœminas Viris, earum tamen æque cum Viris capaces esse concedimus, cum Apostolus in Christo neque masculum neque fœminam discriminet, Galat. III, 28. Bene rursus Clemens in Pædagogo lib. I. cap. IV. fol. 84. eandem ait esse virtutem Viri & mulieris. Si enim utrisque unus DEUS est, utrisque etiam unus est Pædagogus, una Ecclesia, una moderatio ac temperantia, una verecundia, alimentum commune, conjugales nuptiæ, respiratio, visus, auditus, cognitio, spes, obedientia, charitas, omnia similia. Quorum autem est vita quidem communis, communis autem gratia, & salus communis, eorum quoque communis est dilectio & educatio. In hoc enim, inquit (Matth. 22.) sæculo uxores ducunt & nubunt, in quo solo fœmininum a masculino discernitur: in illo autem non amplius (Luc. cap. 20.) Ubi socialis & sanctæ hujus vitæ, quæ ex conjunctione proficiscitur, præmia non masculino aut fœminæ, sed homini proponuntur, cum eum, qui est separatus, sejungat cupiditas. Viris itaque & mulieribus commune nomen homo est. Itaque sicut Virorum nonnullorum, ita & fœminarum virtutes ad excelsum & Heroicum gradum gratia divina aliquando extollit. Annales Ecclesiastici enim Martyres fœminas Viris mixtas celebrant. Agnoscamus igitur & prædicemus virtutes, quibus fœminas quoque Christianas, ad certamen bonum decertandum, cursum consummandum, fidem servandam Spiritus DEI instruit. Intueamur & imitemur virtutes Generosissimæ fœminæ Catharinæ Lucretiæ natæ Walvvitziæ. Hæc quidem marito suo, Generosissimo & Maxime Strenuo, Domino Christophoro Abrahamo de Sala, hæreditario in Schönfeld & Sohland, in Serenissimi ac Potentissimi Regis Poloniae & Electoris Saxonie militia Tribuno, & Arcis Plisfæburgi Præfecto proprium esse voluit, manum cum hostibus patriæ conferere, pietate tamen, pudicitia, temperantia, constantia, aliisque virtutibus, quas ad se imprimis pertinere novit, viros antecedere studuit. Nata est Anno M DC LI. in Lusatia inferiore ex stemmate equestri tam paterno quam materno antiquitate & meritis incluto. Pater enim fuit, Carl Christoph a Walvvitz, Avus Nicolaus a Walvvitz, Toparcha in Straubitz, Avia Catharina de Schöllendorff, Libera Baronissa ex domo Königsberg: Mater Elisabetha Brändin a Lindau, Avus Benno Fridrich Brand a Lindau, in Wiesenburg, Belzig, Glien, Hoben, Lütgen, Zias, qui postquam ex Coniuge una, Maria a Prosecken, XVI. ex altera Lucretia, Libera Baronissa de Putlitz, VIII. liberos suscepisset, anno M DC XXV. mortuus est; Avia Lucretia Libera Baronissa de Putlitz ex domo Wolfshagen: Proavus Friderich Brand in Wiesenburg & Beltzig; Hic referentibus Annalibus Ratisponensibus Mauriti Electoris Saxonie Equitum Magister cohortem prætoriam duxit, deinde Capitaneus Beltzigenensis extitit: Proavia Maria Pflugin, ex domo Groschocher: Abavus Joachim Nobilis Dominus in Putlitz, Regis Gallie Equitum Magister, natu minimus inter fratres XI. qui omnes Regi Hispaniarum in Belgio militarunt: Abavia Lucretia ab Arnheim ex domo Krissau; Atavus Friderich Brand de Lindau, in Wiesenburg, hæreditarius in Belzig, Electorum Saxonie Friderici, Johannis & Johannis Friderici Consiliarius, qui vita excessit an. 1548. & in Templo Arcis Wittebergæ sepultus est; Atavia Margaretha de Krossecken, ex domo Alsleben, defuncta an. 1555. Tritavus Benno Pflug, in Groschocher, Tritavia Benigna a Taubenheim, ex domo Behdern. Altius ascendendo occurrunt Christoph Nobilis Dominus in Putlitz, Margaretha ab Halberstadt; Moritz ab Arnheim, in Krissau, Consiliarius provincialis Archiepiscopatus Magdeburgici; Lucretia a Quitzau, ex domo Quigitel, Fridrich Brand, Friderici Electoris Consiliarius, qui an. 1456. Præfecturam Wisenburg emit, ante Nobilium Dominorum de Querfurth propriam, fato autem functus est an. 1488. Hujus Pater erat Thile Brand, & Frater Hans Brand, Perapti, quibus Albertus Elector bona feudalia in præfectura Electorali Belzig dedit an. 1420. Hi ambo filii fuerunt Henninggii Brand, Rudolphi Electoris Saxonie Consilarii, an. 1399. demortui. Parentum ductu & monitis honestissime educata, a matre imprimis pietatem, modestiam & castitatem hausit; rem familiarem quoque & domesticam administrare didicit. Cum Parentes Dresdam domicilium suum transtulissent, ipsamque hanc filiam suam ad-

Le 20 77

duxissent, Serenissima Princeps & Domina, Domina Magdalena Sibylla, Serenissimi & Potentissimi Domini, Domini Johannis Georgii II. Electoris & Ducis Saxoniae, cujus gloriosissimam recordationem semper esse decet, Conjux, ob elegantiam indolis & efflorescentes virtutes in Gynæceum suum recepit: In quo ad clarissimas virtutes profecit, dum & recta præstaret indole, & anni ipsi maturefcerent, & exempla egregia quotidie ob oculos versarentur: Principis ergo suæ gratiam tum læto obsequio, tum mista industriæ reverentia obtinuit. In qua etiam perseveravit, donec illa ex hac mortalitate decederet. Dimisso gynæceo ad affinem suam se recepit, eidem in re familiari gerenda utilem & fructuosam navans operam, plurimas horas orationibus, & lectioni sacrarum literarum aliorumque librorum ad pietatem moresque formandos factorum impendit. His dotibus celebrem Generosissimus Dominus de Sala, viduus anno M DC XC. conjugem desideravit, & solennibus nuptiis die XXVI. Maji in castro ad hanc urbem sibi junxit. Maritum amore complexa est intimo, liberos ex priore conjugate natos ut suos habuit, eoque magis, quod ipsa nullos marito peperisset, liberalis & munifica fuit erga egenos, castitate, modestia, humanitate & benignitate ad universos cara fuit & etiamnum demortua in multorum animis atque ore vivit ac viget. His tantis virtutibus accessit illa incredibilis & humanas vires supergressa patientia, qua tempore agrotationis diuturnæ usa est, nec non illa animosa & Christiana foemina digna mortis tolerantia, quam capite quasi inclinato vocavit, non formidavit, utpote quam sibi salutarem non noxiam fore speravit. Annis abhinc duobus Tumor scirrhuso scrupulosus in Mamma dextra se exeruit, ad quem dissolvendum emollientia & discutientia remedia adhibita fuerunt. Cum vero ille nullo modo iis cederet, excellentissimi Medici peritissimique Chirurghi consilia operasque junxerunt, ut pertinaciam ejus frangerent. Verum dum frustraneus omnis conatus laborque esset, ante quinque hebdomadas in pectore apertura sponte naturæ facta est, in qua materia deprehensa nullam digestionem admisit, nec ad suppurationem emollibilis fuit. Ideo cum secunda esset, vires corporis decessere, deliquia insecuta sunt, perpetuaque inquietavit insomnia. Inter hæc omnia patientissimo ac supra seculum suum constanti animo fuit, precibus assiduis & meditationibus de misericordia & meritis filii DEI se erexit, atque tandem die III. Decembris nuper beatissime obdormivit, nata annos XLVI. Exuviae excellentissimæ hujus foeminae ad sepulchrum Sohlandense ceremoniis id genus funus decentibus deducuntur. Iisdem in hac urbe ultimum honorem hodie hora I. meridiana in Templo Thomano persolvi maritus dilectissimus instituit. Convenite ergo Cives Academici frequenti officio, atque hac ratione Generosissimo atque Maxime Strenuo Arcis præfecto, Viro propensissimo semper in Academiam affectu, studium ac pietatem vestram probate. P. P. die XIII. Decembr. Anno Christiano M DC XCVII.

---

L I P S I Æ,

Literis CHRISTOPH. FLEISCHERI.



F.K. 103, 13

v. d. Sahla

X 2220765

Z e  
20

# RECTOR UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

Ad  
SUPREMUM HONORARIUM  
GENEROSISSIMAM

CATHOLICAM

LUCRUM

natae WALWARTHE

VIRI

GENEROSISSIMI ET M

DN.

CHRISTOPH. W

de SALZEBURGO

in Sohland & So

In Serenissimi Potentissimique

etoris Saxoniae militia Trib

Lipsiensis Prae

CONJUGI DILECTAE

Hora I. meridia

*Hodie XIII. Decembr.*

frequenti coram

perfolvendun

CIVES SUOS

invitat.

